

## In Dracontium, Iuvenalem, Nigidium.

Manu scripta indiscreta incomposita quod nunc aliquanto difficilius quam typis expressa fixa distincta recensemus ac perno- scimus, Dracontii nova carmina legenti mihi cum Duhnio nostro accidit ut emendationis causa adnotarem etiam quae melius erat delevisse. ex eo genere unum quidem quam primum corrigendum censui.

Primum primi carminis versum in codice sic legimus corru- ptum *Orpheum vatem enarrant ut priorum litterae Cantitasse*. cui ut numeros suos restituerem simul et orationi structuram idoneam, scribendum proposui *vatem ecce narrant tot*. sed ne typographo quidem hanc videor coniecturam probasse, pro *narrant* enim credo quod aegre tulit verbum substituit absurdum et quo faceret mihi etiam iniuriam. verum enim non fugerat me quam illud *ecce frigi- dum* esset et quam aspere in principio trochaeorum quos ad seve- rissimam normam discipulus exegit per synaloephen syllaba exclu- deretur. iam intellexi verbum debuisse teneri id quod cum inter nos memorassemus immaturo tum consilio reiecit *renarrant*. nam ne dicam Afros cum *re* compositis verbis saepe esse abusos, satis apte hoc ipsum adhibetur ad significandam et remotam tempore historiam et a multis narratam, *utque fit a facto propiore priora renarrat*. Orpheum Dracontius cum praeceptore suo comparavit item ut in epistula ad M. Caesarem IV 1 p. 58 Nab. Fronto fabu- lam interpretatus est Orpheum fuisse eximia eloquentia virum di- cens qui diversis nationibus ortos variis moribus imbutos congre- garit et mitigarit, idemque argumentum carmine tractavit artis rarissimae Palladius AL. 628 R. praefationis Dracontianae versu sexto *tunc feras reliquit ira, tunc pavor in mei territa*, quoniam cicurum timidorumque animalium vocem singularem in latino ser- mone nullam extare video, aliter posterius atque prius est mem- brum constructum fuisse opinor: sicine fuit *tunc pavor nil terruit?* in epithalamio Ioannis (VII) dulcem amaritiam amoris persecutus poeta Sardiniam sponsi et Mauritaniam Vitulae patriam tangens scitum versum admiscuit 47 *Sardoasque iuget poclis Sitifensibus herbis*, quem sic putavi typorum vitio expressum, in nominum ta- men indice eodem modo repetitum legi: ut ut est, scriptum oportuit *herbas*. in Medea (X) quod traditum est v. 271 *gressus con- sors oblivio iungit* somniavi si iussi immutari: valde placuit Dra- contio haec figura ut res et adfectus quasi personas induceret, itaque Medae thalamum una cum nova nupta et marito ingratiam et oblivionem intrantes fecit. paulo superius v. 201 *numen quod mundus adorat* includendum est in orationem precantis.

Dracontiana me admonent ut parvolas res duas addam. Iuven- alis versus VI 284 s. Iahnus sic edidit *nihil est audacius illis Deprensus, iram atque animos e crimine sumunt*. codices plerique a crimine praebent, Erlangensis quam Rupertius adhibuit membrana de crimine, in Pithoeano erasa dicitur praepositio 'spatio minore

quam pro littera a'. at testes adsunt codicibus antiquiores omnibus ut qui ante annum Chr. D versum illum commemorarint reperierintve. nam Gelasius papa in epistula de Lupercalibus ita scripsit aut editur saltem scripsisse p. 114 Mign. *quando non tam deterrere quam admonere animos haec ludibria videntur et sicut ille dixit 'iram atque animos a crimine sumunt'*. Dracontius autem in laudibus dei III 461 s. *audacius illis Deprensus nihil est, animos de crimine sumunt* idque reapse scriptum fuisse in vetere Iuvenalis exemplari veri eo similis est quod in Orestis fabula iterum hoc refertur *animos de crimine sumunt* v. 233. Africanum igitur exemplar ego magis sequendum arbitror quam Romanum si fuit Romanum quod praepositionem habet minus significantem aut novicia quibus Pithoeani rasura illa parum auctoritatis adfert. Iuvenali versus Dracontius etiam alios sublegit, I 85 in satisfactione 15, III 213 in laudibus dei III 376, X 356 ibidem III 673, itaque admodum nosse eum satiras constat.

In controversia Dracontii versus 208 hic est *nam domitor Libyae bellorum Scipio fulmen*, libri autem scriptura Neapolitani haec *dominator*. latinis codices qui tractarunt, ipsa illa eiusdemve originis vocabula persaepe inter se esse permutata sciunt. nec vero tantum medio aevo sed etiam Neronis vel Hadriani temporibus qui ab alio scripta transcribebant horum lapsi verborum confusione videntur. certe Prisciano mendum olim tale fraudi fuit, aut si quidem fatetur ipse 'a diversis' se collecta 'libris exempla' proferre, uni ex eis magistris qui doctrinae copias pararunt in arte Prisciani VIII 4 p. 379 ss. H. expromptas. nam enumerans grammaticus verba formae passivae quibus antiqui et actionem et passionem significarint in D littera cum alia posuit tum *dominor*. neque quisquam id recte factum esse negabit, quoniam et passivae significationis exempla praesto sunt in lexicis et interpretamenta forensia Dosithei arti adhaerentia p. 53 Boeck. formam verbi activam servarunt *ἐκατέγω κυριεύουσιν*, *utrique dominabunt*. atque ante nos Quicheratius *dominare* infinitivum lexicis e Venantio Fortunato addi iusserat, vetustius autem quam illud activae formae exemplum mihi nullum innovit, nam quae accepimus a glossario Parisino *dominavit subiecit submisit*, deinde *humiliavit dominavit subnexit subiecit*, denique *subdit subiecit dominavit vel submisit*, non multos adeo caecutire puto ut illa non videant ex *domavit* orta esse, *doma* scilicet ut Cledonius ait *et domui et domavi facit*. verum Priscianus quo exemplo passive *dominari* dictum probat id tantam movet suspicionem ut fidem eius huic rei porro adhiberi nolim. Nigidio enim p. 385, 15 haec verba adsignat *omne pecus indomitum habet quiddam in se ferum, sed tamen ea natura est ut curari et dominari possit* additque ipse *δεονόζεσθαι*, *passive dominari posuit*. at *curari* sive a Prisciano scriptum sive postea inlatum perperam cum manifesta Rutgersius emendatione mutarit in *cicurari*, utrum credibilis est vano studio dissidentia Nigidium ac disparia verba copulasse an simpliciter et ut res postulabat subjunxisse *domari*? pecus enim indomitum ut vel Columella vel geoponici commentarii ostendunt,

prius cicuratur id est mansuefit vel manu tractari consuescit, deinde ad laboris patientiam ususque humanos subigitur domitura. fefellit igitur grammaticum liber eo quod diximus vitio adfectus, quale cum socordia potius animi quam stili inconstantia pariat, frustra sit etiam qui ab eo quod Priscianus invenerat, *domitari* quam *domari* lenius posse deflecti opinetur. quid vero mirum si veteri scriptori idem culpae accidit quod conquirentes exempla vel conquisita digerentes hodie quoque committimus? quamquam nunc qui ita peccat veniae nihil meretur, et qui non ita, nihil laudis.

F. Buecheler.

---